

# 24<sup>TH</sup> LATIN SUMMER SCHOOL

15<sup>th</sup>-19<sup>th</sup> JANUARY 2018

New Law Building, University of Sydney

**LEVEL 4.5**

**Mad and bad emperors from the  
*Historia Augusta***

**Instructor: Bob Cowan**



### Level 4.5 Mad and bad emperors from the *Historia Augusta*

The thirty biographies, of uncertain date and authorship, of Roman emperors and pretenders from Hadrian to Numerian, known collectively as the *Historia Augusta*, make for – at best – dubious history but great entertainment. Cassius Dio, Herodian, Ammianus and others are better consulted for a sense of what actually happened during the high and later empire, but the *HA* provides a wonderfully over-the-top picture of decadence and excess, which shows vividly how emperors – good, bad and ugly – were perceived and imagined, even if it bears only a distant resemblance to how they actually were. The authors of the *HA* (conventionally termed “*Scriptores Historiae Augustae*”, or *SHA*) modelled themselves on Suetonius’ *Lives of the Caesars*, but massively expanded the sections enumerating the often bizarre excesses in which the emperors indulged.

We shall look at the lives of three of the worst of the bad emperors, flamboyant virtuosi of vice who were as inventive as they were decadent, as cool as they were cruel. We shall see Elagabalus crushing his guests to death with petals, as in Alma-Tadema’s famous painting, Commodus fighting hundreds of bouts as a gladiator, and the chilling depiction of the boyish Caracalla’s corruption into a brutal tyrant. We shall round the week off by looking at the deaths of two of the relatively ‘good’ emperors, Marcus Aurelius (feel free to visualize Richard Harris in *Gladiator*) and Septimius Severus (the first African emperor of Rome), each of whom left the empire to a monstrous son, whose tyrannical reign is dramatically foreshadowed at the moment of his father’s death.

The text below is based on a combination of Samberger, Seyfarth and Hohl’s Teubner (Stuttgart 1997) and Magie’s Loeb (Cambridge MA 1921). If you want to read more of the lives from which our extracts come, or other lives, Magie’s Loeb is your best bet. It is available (in Latin and English) at the Lacus Curtius website:

[http://penelope.uchicago.edu/Thayer/E/Roman/Texts/Historia\\_Augusta/home.html](http://penelope.uchicago.edu/Thayer/E/Roman/Texts/Historia_Augusta/home.html)

There has been much scholarship on the *HA*, but most of it deals with minutiae of composition and historical detail. If you want a more literary way into these biographies, I’d recommend a recent article on the life of Heliogabalus and an even more recent book on allusion in the *HA* as a whole:

- Mader, Gottfried (2005) “History as Carnival, or Method and Madness in the *Vita Heliogabali*”, *Classical Antiquity* 24: 131–72.
- Rohrbacher, David (2016) *The Play of Allusion in the Historia Augusta* (Madison WI).

I am very happy to offer further suggestions for wider reading, either on the *HA* itself or on the emperors we shall be looking at, though for the latter the *Oxford Classical Dictionary* will provide a useful overview and list of more detailed studies. If you have any other questions, please do ask. Otherwise, I look forward to indulging in some Imperial decadence with you in January.

Bob Cowan

## Monday: Commodus (161-92 CE, emperor 180-92 CE), tyrant and gladiator

(SHA *Comm.* 10-11.12, 12.10-13.4, 15.3-7)

10.1 Iam puer et gulosus et impudicus fuit. Adulescens omne genus hominum infamavit, quod erat secum, et ab omnibus est infamatus. 2 Inridentes se feris obiciebat. Eum etiam, qui Tranquilli librum vitam Caligulae continentem legerat, feris obici iussit, quia eundem diem natalis habuerat, quem et Caligula. 3 Si quis sane se mori velle praedixisset, hunc invitum praecipitari iubebat. 4 In iocis quoque perniciosus. Nam eum, quem vidisset albescentes inter nigros capillos quasi vermiculos habere, sturno adposito, qui se vermes sectari crederet, capite suppuratum reddebat obtusione oris. 5 Pinguem hominem medio ventre dissicuit, ut eius intestina subito funderentur. 6 Monopodios et luscinos eos, quibus aut singulos oculos tulisset aut singulos pedes fregisset, appellabat. 7 Multos praeterea passim extinxit alios, quia barbarico habitu occurrerant, alios quia nobiles et speciosiores erant. 8 Habuit in deliciis homines appellatos nominibus verendorum utriusque sexus, quos libentius suis osculis applicabat. 9 Habuit et hominem pene prominentem ultra modum animalium, quem non appellabat, sibi carissimum. quem et ditavit et sacerdotio Herculis rustici praeposuit.

11.1 Dicitur saepe pretiosissimis cibis humana stercora miscuisse nec abstinuisse gustum aliis, ut putabat, inrasis. 2 Duos gibbos retortos in lance argentea sibi sinapi perfusos exhibuit eosdemque statim promovit ac ditavit. 3 Praef. praet. suum Iulianum togatum praesente officio suo in piscinam detrusit. Quem saltare etiam nudum ante concubinas suas iussit quatientem cymbala deformato vultu. 4. omnia genera leguminum coctorum ad convivium propter luxuriae continuationem raro non vocavit. 5 Lavabat per diem septies atque octies et in ipsis balneis edebat. 6 adibat deorum templa pollutus stupris et humano sanguine. 7 Imitatus est et medicum, ut sanguinem hominibus emitteret scalpris feralibus. 8 Menses quoque in honorem eius pro Augusto Commodum, pro Septembri Herculem, pro Octobri Invictum, pro Novembri Exsuperatorium, pro Decembri Amazonium ex signo ipsius adulescentes vocabant. 9 Amazonius autem vocatus est ex amore concubinae suae Marciae, quam pictam in Amazone diligebat, propter quam et ipse Amazonico habitu in harenam Romanam procedere voluit. 10 Gladiatorium etiam certamen subiit et nomina gladiatorum recepto gaudio, quasi acciperet triumphalia. 11 Ludum semper ingressus est et, quotiens ingrederetur, publicis monumentis indi iussit. 12 Pugnassem autem dicitur septingentis tricenis quinquies. ....

12.10 Inter haec refertur in litteras pugnassem illum sub patre trecentis sexagies quinquies, 11 item postea tantum palmarum gladiatoriarum confecisse vel victis retiariis vel occisis, ut mille contingeret. 12 Ferarum

autem diversarum manu sua occidit, ita ut vel elephantos occideret, multa milia. et haec fecit spectante saepe populo Romano.

13.1 Fuit autem validus ad haec, alias debilis et infirmus, vitio etiam inter inguina prominenti, ita ut eius tumorem per sericas vestes populus Romanus agnosceret. 2 Versus ideo multi scripti sunt, de quibus etiam in opere suo Marius Maximus gloriatur. 3 Virium ad conficiendas feras tantarum fuit, ut elephantum conto transigeret et orygis cornu basto transmiserit et singulis ictibus multa milia ferarum ingentium conficeret. 4 Inpudentiae tantae fuit, ut cum muliebri veste in amphitheatro vel theatro sedens publice saepissime biberit. ...

15.3 Spectator gladiatoria sumpsit arma, panno purpureo nudos humeros advelans. 4 Habuit praeterea morem, ut omnia quae turpiter, quae inpure, quae crudeliter, quae gladiatorie, quae lenonie faceret, actis urbis indi iuberet, ut Marii Maximi scripta testantur. 5 Commodianum etiam p. R. dixit, quo saepissime praesente gladiator pugnavit. 6 Sane cum illi saepe pugnantem ut deo populus favisset, in risum se credens populum Romanum a militibus classariis, qui vela ducebant, in amphitheatro interim praeeperat. 7 Urbem incendi iusserat, utpote coloniam suam; quod factum esset, nisi Laetus praef. praet. Commodum deterruisset.

**Tuesday: Caracalla (188-217 CE, emperor 211-217CE) – portrait of the despot as a young man (SHA M. Ant. 1-3)**

1.1 Ex duobus liberis, quos Septimius Severus reliquit, quorum unum Antoninum exercitus, alterum pater dixit, Geta hostis est iudicatus, Bassianum notum optinuisse imperium. 2 De cuius maioribus frustra putamus iterandum, cum omnia in Severi vita satis dicta sint. 3 Huius igitur pueritia blanda, ingeniosa, parentibus adfabilis, amicis parentum iucunda, populo accepta, grata senatui, ipsi etiam ad amorem conciliandum salutaris fuit. 4 Non ille in litteris tardus, non in benivolentis segnis, non tenax in largitate, non lentus in clementia, sed sub parentibus, visus. 5 Denique, si quando feris obiectos damnatos vidit, flevit aut oculos avertit. Quod populo plus quam amabile fuit. 6 Septennis puer, cum conlusorem suum puerum ob Iudaicam religionem gravius verberatum audisset, neque patrem suum neque patrem pueri velut auctores verberum diu respexit. 7 Antiochensibus et Byzantiis interventu suo iura vetusta restituit, quibus iratus fuit Severus, quod Nigrum iuverant. Plautiani odium crudelitatis causa concepit. 8 Quod a parentibus gratia sigillarium acceperat, id vel clientibus vel magistris sponte donavit. Sed haec puer.

2.1 Egressus vero pueritiam seu patris monitis seu calliditate ingenii sive quod se Alexandro Magno Macedoni aequandum putabat, restrictior, gravior, vultu etiam truculentior factus est, prorsus ut eum, quem puerum scierant, multi esse non crederent. 2 Alexandrum Magnum eiusque gesta in ore semper habuit. Tiberium et Syllam in conventu plerumque laudavit. 3 Patre superbior fuit; fratrem magna eius humilitate despexit. 4 Post patris mortem in castra praetoria pergens apud milites conquestus est circumveniri se fratris insidiis, atque ita fratrem in palatio fecit occidi. Eius corpus statim cremari praecepit. 5 Dixit praeterea in castris fratrem sibi venenum parasse, matri eum inreverentem fuisse; egitque publice his gratias, qui eum occiderunt. 6 Addidit denique his quasi fidelioribus erga se stipendium. 7 Pars militum apud Albam Getam occisum aegerrime accepit, dicentibus cunctis duobus se fidem, promisisse liberis Severi, duobus servare debere, 8 clausisque portis diu imperator non admissus nisi delentis animis, non solum querellis de Geta et criminationibus editis, sed inormitate stipendii militibus, ut solet, placatis, atque inde Romam redit. 9 Tunc sub veste senatoria lorica habens cum armatis militibus curiam ingressus est. Hos in medio inter subsellia duplici ordine conlocavit sic verba fecit. 10 Questus est de fratris insidiis in volute et incondite ad illius accusationem et excusationem sui. 11 Quod quidem nec senatus libenter accepit, cum ille dixisset fratri se omnia permisisse, fratrem ab insidias fecisse nec vicem amori reddidisse fraterno.

3.1 Post hoc relegatis deportatisque reditum in patriam restituit. Inde ad praetorianos processit et in castris mansit. 2 Altera die Capitolium petit, ad eos, quos occidere parabat, adfabuliter est locutus innitensque Papiniano et Ciloni ad Palatium redit. 3 Cum flentem matrem Getae vidisset aliasque mulieres post necem fratris, mulieres occidere conatus est, sed ob hoc retentus, ne augetur fratris occisi crudelitas. 4 Laetum ad mortem coegit misso a se veneno: ipse enim inter suasores Getae mortis primus fuerat, qui et primus interemptus est. 5 Ipse mortem eius saepissime flevit. Multos, qui caedis eius conscii fuerant, interemit, sed et eum, qui imaginem eius honoravit. 6 Post hoc fratrem patruelem Afrum, cui pridie partes de cena miserat, iussit occidit. 7 Qui cum se praecipitasset percussorum timore et ad uxorem crure fracto erepisset, tamen per ludibrium percussoribus deprehensus est et occisus. 8 Occidit etiam Pompeianum, Marci nepotem, ex filia natum et ex Pompeiano, cui nupta fuerat Lucilla post mortem Veri imperatoris, quem et consulem bis fecerat et omnibus bellis praeposuerat, quae gravissima tunc fuerunt, et ita quidem ut videretur a latronibus interemptus.

**Wednesday: Elagabalus/Heliogabalus (c. 203-222 CE, emperor 218-222CE)**

**Part I: rise of a monster (SHA *Heliogab.* 1-4)**

1.1 Vitam Heliogabali Antonini, qui Varius etiam dictus est, numquam in litteras misissem, ne quis fuisse Romanorum principem sciret, nisi ante Caligulas et Neronas et Vitellios hoc idem habuisset imperium. 2 Sed cum eadem terra et venena ferat et frumentum atque alia salutaria, eadem serpentes et cicures, compensationem sibi lector diligens faciet, cum legerit Augustum, Traianum, Vespasianum, Hadrianum, Pium, Titum, Marcum contra hos prodigiosos tyrannos. 3 Simul intellet Romanorum iudicia, quod illi et diu imperarunt et exitu naturali functi sunt, hi vero interfecti, tracti, tyranni etiam appellati, quorum nec nomina libet dicere. 4 Igitur occiso Macrino eiusque filio Diadumeno, qui pari potestate imperii Antonini etiam nomen acceperat, in Varium Heliogabalum imperium conlatum est, idcirco quod Bassiani filius diceretur. 5 Fuit autem Heliogabali vel Iovis vel Solis sacerdos atque Antonini sibi nomen adsciverat vel in argumentum generis vel quod id nomen usque adeo carum esse cognoverat gentibus, ut etiam parricida Bassianus causa nominis amretur. 6 Et hic quidem prius dictus est Varius, post Heliogabalus a sacerdotio dei Heliogabali, cui templum Romae in eo loco constituit, in quo prius aedes Orci fuit, quem e Suria secum advexit. 7 Postremo cum accepit imperium, Antoninus appellatus est atque ipse in Romano imperio ultimus Antoninorum fuit.

2. 1 Hic tantum Symiamirae matri deditus fuit, ut sine illius voluntate nihil in re p. faceret, cum ipsa meretricio more vivens in aula omnia turpia exerceret, Antonino autem Caracallo stupro cognita, ita ut hic vel Varius vel Heliogabalus vulgo conceptus putaretur; 2 et aiunt quidam Varii etiam nomen idcirco eidem inditum a condiscipulis, quod vario semine, de meretrice utpote, conceptus videretur. 3 Hic fertur occiso Macrini factione patre, ut dicebatur, Antonino in templum dei Heliogabali confugisse, velut in asylum, ne interficeretur a Macrino, qui saevissime cum filio luxurioso et crudeli exercuit imperium. 4 Sed de nomine hactenus, quamvis sanctum illud Antoninorum nomen polluerit, quod tu, Constantine sacratissime, ita veneraris, ut Marcum et Pium inter Constantios Claudiosque, velut maiores tuos, aureos formaveris adoptans virtutes veterum tuis moribus congruentes et tibi amicas caras.

3.1 Sed ut Antoninum Varium revertamur, nactus imperium Romam nuntios misit; excitatisque omnibus ordinibus, omni etiam populo ad nomen Antoninum, quod non solum titulo, ut in Diadumeno fuerat, sed etiam in sanguine redditum videbatur, cum se Antonini Bassiani filium scripsisset, ingens eius desiderium factum est. 2 Erat praeterea etiam rumor, qui novis post tyrannos solet donari principibus, qui nisi ex summis virtutibus non permanet et quem multi mediocres principes amiserunt. 3 Denique ubi in

senatu lectae sunt litterae Heliogabali, statim fausta in Antoninum et dira in Macrinum eiusque filium dicta sunt, appellatusque Antoninus princeps volentibus cunctis et studiose credentibus, ut sese habent vota hominum ad credulitatem festinantium, cum, quod optant, verum esse desiderant. 4 Sed ubi primum ingressus est urbem, omissis, quae in provincia gerebantur, Heliogabalum in Palatino monte iuxta aedes imperatorias consecravit eique templum fecit, studens et Matris typum et Vestae ignem et Palladium et ancilia et omnia Romanis veneranda in illud transferre templum et id agens, ne quis Romae deus nisi Heliogabalus coleretur. 5 Dicebat praeterea Iudaeorum et Samaritanorum religiones et Christianam devotionem illuc transferendam, ut omnium culturarum secretum Heliogabali sacerdotium teneret.

4.1 Deinde ubi primum diem senatus habuit, matrem suam in senatum rogari iussit. 2 Quae cum venisset, vocata ad consulum subsellia scribendo adfuit, id est senatus consulti conficiendi testis, solusque omnium imperatorum fuit, sub quo mulier quasi clarissima loco viri senatum ingressa est. 3 Fecit et in colle Quirinali senaculum, id est mulierum senatum, in quo ante fuerat conventus matronalis, solemnibus dumtaxat diebus et si umquam aliqua matrona consularis coniugii ornamentis esset donata, quod veteres imperatores adfinibus detulerunt et his maxime, quae nobilitatos maritos non habuerant, ne innobilitatae remanerent. 4 Sub Symiamira facta sunt senatus consulta ridicula de legibus matronalibus: quae quo vestitu incederet, quae cui cederet, quae ad cuius osculum veniret, quae pilento, quae equo, quae sagmario, quae asino veheretur, quae carpento mulari, quae bovum, quae sella veheretur et utrum pellicia an ossea an eborata an argentata, et quae aurum vel gemmas in calciamentis haberent.

#### **Thursday: Elagabalus part II: anecdotal excesses**

**(SHA *Heliogab.* 21.5-6, 25.1-9, 26.6-8, 29.1-3, 33.1-8)**

21. 5 Oppressit in tricliniis versatilibus parasitos suos violis et floribus, sic ut animam aliqui efflaverint, cum erepere ad summum non possent. 6 Condito piscinas et solia temperavit et rosato atque absentato. Vulgum ad bibendum invitavit et ipse cum populo tantum bibit, ut in piscina eum bibisse intellexeretur, viso quod unus bibisset. ...

25.1 Ebrios amicos plerumque claudebat et subito nocte leones et leopardos et ursos exarmatos immittebat, ita ut expergefacti in cubiculo eodem leones, ursos, pardos cum luce vel, quod est gravius, nocte invenirent, ex quo plerique exanimati sunt. 2 Multis vilioribus amicis folles pro accubitis sternebat eosque reflabat prandentibus illis, ita ut plerumque subito sub

mensis invenirentur prandentes; 3 primus denique invenit sigma in terra sternere, non in lectulis, ut a pedibus utres per pueros ad reflandum spiritum solverentur. 4 In mimicis adulteriis ea, quae solent simulato fieri, effici ad verum iussit. 5 Meretrices a lenonibus cunctis redemit saepe et manumisit. 6 Cum inter fabulas privatas sermo esset ortus, quanti herniosi esse possent in urbe Roma, iussit omnes notari eosque ad balneas suas exhiberi et cum isdem lavit, nonnullis etiam honestis. 7 Gladiatores ante convivium pugnantes sibi et pyctas frequenter exhibuit. 8 Stravit sibi triclinium in summo lusorio et, dum pranderet, noxios et venationes sibi exhibuit. 9 Parasitis in secunda mensa saepe ceream cenam, saepe ligneam, saepe eburneam, aliquando fictilem, nonnumquam vel marmoream vel lapideam exhibuit, ita ut omnia illis exhiberentur videnda de diversa materia, quae ipse cenabat, cum tantum biberent per singula fercula et manus, quasi comedissent, lavarent. ...

**26.6** Iocabantur sane ita cum servis, ut eos iuberet millena pondo sibi aranearum deferre proposito praemio, collegisque dicitur decem milia pondo aranearum, dicens et hinc intellegendum, quam magna esset Roma. 7 Mittebat parasitis pro cellario salaria annua vasa cum ranis et scorpiis et cum serpentibus et huiusmodi monstris. 8 Claudebat in cuiuscemodi vasis infinitum muscarum, apes mansuetas eas appellans. ...

**29.1** Habuit gemmata vehicula et aurata contemptis argentatis et eboratis et aeratis. 2 Iunxit et quaternas mulieres pulcherrimas et binas ad pabillum vel ternas et amplius et sic vectatus est, sed plerumque nudus, cum illum nuda traherent. 3 Habuit et hanc consuetudinem, ut octo calvos rogaret ad cenam et item octo luscos et item octo podagrosos, octo surdos, octo nigros, octo longos et octo pingues, cum capi non possent uno sigmate, ut de his omnibus risus citaret. ...

**33.1** Libidinum genera quaedam invenit, ut spinthrias veterum imperatorum vinceret, et omnis apparatus Tiberii et Caligulae et Neronis norat. 2 Et praedictum eidem erat a sacerdotibus Syris biothanatum se futurum. 3 Paraverat igitur funes blatta et serico et cocco intortos, quibus, si necesse esset laqueo, vitam finiret. 4 Paraverat et gladios aureos, quibus se occideret, si aliqua vis urgeret. 5 Paraverat et in cerauneis et in hyacinthis et in smaragdis venena, quibus se interimeret, si quid gravius inmineret. 6 Fecerat et latissimam turrem substratis aureis gemmatisque ante se tabulis, ex qua se praecipitaret, dicens etiam mortem suam pretiosam esse debere et ad speciem luxuriae, ut diceretur nemo sic perisse. Sed nihil ista valuerunt. 7 Nam, ut diximus, et occisus est per scutarios et per plateas et sordidissime per cloacas ductus et in Tiberim submissus est. 8 Hic finis Antoninorum nomini in re p. fuit, scientibus cunctis istum Antoninum falsum fuisse quam nomine.



**Friday: Two good emperors die well leaving bad successors – Marcus Aurelius (father of Commodus) and Septimius Severus (father of Caracalla)**

*SHA Marc. 28.1* Mors autem talis fuit: cum aegrotare coepisset, filium advocavit atque ab eo primum petit, ut belli reliquias non contempneret, ne videretur rem p. prodere. 2 Et, cum filius ei respondisset cupere se primum sanitatem, ut vellet, permisit, petens tamen, ut expectasset paucos dies, haut simul proficisceretur. 3 Deinde abstinuit victu potuque mori cupiens auxitque morbum. 4 Sexta die vocatis amicis et ridens res humanas mortem autem contempnens ad amicos dixit: “Quid de me fletis et non magis de pestilentia et communi morte cogitatis?” 5 Et cum illi vellent recedere, ingemescens ait: “Si iam me dimittitis, vale vobis dico vos praecedens.” 6 Et cum ab eo quaereretur, cui filium commendaret, ille respondit: “Vobis, si dignus fuerit, et dis immortalibus.” 7 Exercitus cognita mala valetudine vehementissime dolebant, quia illum unice amarunt. 8 Septimo die gravatus est et solum filium admisit, quem statim dimisit, ne in eum morbus transiret. 9 Dimisso filio caput operuit quasi volens dormire, sed nocte animam efflavit. 10 fertur filium mori voluisse, cum eum talem videret futurum, qualis exstitit post eius mortem, ne, ut ipse dicebat, similis Neroni, Caligulae et Domitiano esset.

*HA Sev. 22.1* Signa mortis eius haec fuerunt: ipse somniavit quattuor aquilis et gemmato curru praevolante nescio qua ingenti humana specie ad caelum esse raptum; cumque raperetur, octoginta et novem numeros explicuisse, ultra quot annos ne unum quidem annum vixit, nam ad imperium senex venit; 2 cumque positus esset in circulo ingenti aereo, diu solus et destitutus stetit. Cum vereretur autem, ne praeceps rueret a Iove se vocatum vidit atque inter Antoninos locatum. 3 Die circensium cum tres Victoriolae more solito essent locatae gypseae cum palmis, media, quae ipsius nomine adscriptum orbem tenebat, vento icta de podio stans decidit et humi constitit; ea quae Getae nomine inscripta erat, corruiit et omnis comminuta est; illa vero, quae Bassiani titulum praefererat, amissa palma venti turbine vix constitit. 4 Post murum apud vallum visum in Britannia cum ad proximam mansionem rediret non solum victor sed etiam in aeternum pace fundata volvens animo, quid ominis sibi occurreret, Aethiops quidam e numero militari, clarae inter scurras famae et celebratorum semper iocorum, cum corona e cupressu facta idem occurrit. 5 Quem cum ille iratus removeri ab oculis praecepisset et coloris eius tactus omine et coronae, dixisse ille dicitur ioci causa: “Totum fuisti isti, totum vicisti, iam deus esto victor.” 6 Et civitatem veniens cum rem divinam vellet facere, primum ad Bellonae templum ductus est errore haruspicis rustici, deinde hostiae furvae sunt adplicitae. 7 Quod cum esset aspernatus atque ad palatium se reciperet, negligentia ministrorum nigrae hostiae, et usque ad limen domus Palatinae, imperatorem secutae sunt. ...

**23.3** Ultima verba eius dicuntur haec fuisse: “Turbatam rem p. ubique accepi, pacatam etiam Britannis relinquo, senex ac pedibus aeger firmum imperium Antoninis meis relinquens, si boni erunt, imbecillum, si mali.” 4 Iussit deinde signum tribuno dari “laboremus”, quia Pertinax, quando in imperium adscitus est, signum dederat “militemus”. 5 Fortunam deinde regiam, quae comitari principes et in cubiculis poni solebat, geminare statuerat, ut sacratissimum simulacrum utrique relinqueret filiorum; 6 sed cum videret se perurgueri sub hora mortis, iussisse fertur, ut alternis diebus apud filios imperatores in cubiculis Fortuna poneretur. 7 Quod Bassianus prius contempsit quam faceret parricidium.